



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. III. Explicatur essentia originalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

modo impediatur, ne adultus constituatur in alio tanquam in capite.

Secunda Paritas est. Per nos in materia de Pœnitentia, non potest quisquam justificari justificatione, quâ dicatur conversus ad Deum, sine proprio actu. Ergo nec potest dejustificari dejustificatione, quâ dicatur averſus à Deo, sine proprio actu.

RESPONDETUR. Antecedens procedere de Justificatione physicè accepta: & Conſequentia procedit de Justificatione moraliter accepta, non negavimus autem poſſe aliquem justificari moraliter sine proprio actu, licet non poſſit justificari physicè, idque ex titulo denominationis à vitalitate oriundæ.

Tertia Paritas est. Non potest quisquam reddi ſanctus ſanctitate alienâ. Ergo neque reddi peccator per alterius actum.

RESPONDETUR. Per noſtrum moraliter actum in capite reddimur peccatores, & non tantum per alterius. Arriaga etiam ex mente Vaſq. d. 51. n. 31. Negat Antecedens, de facto que etiam natura humana redditur ſancta ſanctitate Verbi increatâ.

Quarta Paritas. Non potest reddi aliquis moraliter albus physicâ alius albedine. Ergo nec poterit reddi peccator alieno phyſico peccato.

RESPONDETUR. Diſparitatem eſſe: quia albedo præciſè ſpectata non eſt de linea moris, quomodo ergo moraliter dealbabit. nec eſt fundamentum, ratione cujus poſſit quis dici moraliter albus. Jam autem peccatum eſt de genere moris, & aliunde conſtat, actionem alius phyſicè poſſe eſſe alius moraliter propriam.

Quinta Paritas. Non potest voluntas bruti conſtitui in homine tanquam in capite. Ergo nec voluntates poſteriorum.

RESPONDETUR. Diſparitatem eſſe, quia tota ratio conſtitutionis in capite ultimo refertur in pactum, quod eſt pactum de linea moris, ipſique poſteri, ex titulo intellectualis ſunt capaces moralitatis, brutum autem non eſt capax pacti: pactum enim eſt inter entia intellectualia, nec capax eſt imputationis moralis. abuſivè tamen poſſunt conſtitui in capite in ordine ad aliquid, v. g. ſi non peccaverit Adam obediens illi beſtiæ.

DICES 3. In oppoſitum eſſe Auctoritatem S. Pauli ad Rom. 5. v. 19. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti multi conſtituentur. Sed obedientiâ phyſicâ Chriſti non eramus moraliter obedientes. Ergo nec moraliter peccantes in Adamo.

RESPONDERI poſſet. Negando Minorem, modò non ſit aliunde impedimentum peccati mortalis, illa obedientia in Chriſto poſſet dici, quòd nobis conveniat. Deinde hoc ſolum vo-

luit Apoſt. quòd ita Chriſtus eſt caput influens juſtitiam, ſicut etiam rationem capitis habet Adamus in ordine ad dejuſtificationem.

COLLIGITUR inde, quòd peccatum originale ſit peccatum ab Adamo phyſicè & moraliter, à nobis in illo moraliter commiſſum. Quòd ipſum ut diſtinctius explicetur, ſit

DIFFICULTAS III.

Explicatur Eſſentia originalis.

EXPLICAT 1. Catharinus & Pighius. Quòd originale nihil aliud ſit, quàm peccatum primi parentis, pro formalis, modum quandam qui eſt reatus, & obligatio ad poenam, putatque Vaſq. & Bellarmin. quod in hac ſententia fuerit S. Auguſt. *Hæc Explicatio*

EXPLICANT 2. non pauci cum Durando. Quòd originale pro materiali dicat ipſam concupiſcentiam carnis, pro formalis, modum quandam qui eſt reatus, & obligatio ad poenam, putatque Vaſq. & Bellarmin. quod in hac ſententia fuerit S. Auguſt. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Non eſt conformis Trid. quòd ſignificat originale ſine ullo addito auferri Baptiſmo, & tamen non auferitur concupiſcentia. aufereturque non niſi cum addito originale, hoc eſt, ratione ſui formalis. Tum quia. Materiale originalis quoad ſubſtantiam non debuiffet eſſe ante originale, ſed hoc materiale fuit ante ipſum originale; quia nihil aliud eſt quàm vis inclinativa ad delectabile. Tum quia. Eſſentia rerum non rectè explicantur ſuis effectibus. Jam autem reatus eſt effectus, & quid conſequens originale, ſicut & concupiſcentia. Aug. nihil plus vult, quàm quòd originale ſtet in reatu, non quomodo cumque ſed reatu culpæ.

EXPLICANT 3. alii. Quòd originale ſit carentia Juſtitia originalis, nomine illius intelligendo qualitatem quandam impeditivam ſenſualis potentia, ut docuit Scot. Cord. Maj. Gabr. quos vide apud Vaſq. d. 132. c. 7. licet aliqui hanc juſtitiam ſumant pro gratia ſanctificante. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Quia immeritò ſic explicata Juſtitia originalis ponitur eſſe qualitas, multiplicanturque entia ſine neceſſitate & auctoritate ſacra. nam impediri illa poſſet bene referri in externam Dei protectionem, in negationem concurſus ad ſenſuales motus independenter ab imperio voluntatis.

EXPLI-

EXPLICANT 4. alii. Quòd originale sit ipsa carentia gratiæ sanctificantis. Contra hanc sententiam sunt argumenta, quibus in materia de Pœnitentia probatum, habituale peccatum non stare in privatione gratiæ. sed insuper.

NON SATISFACIT. Tum quia. In illo stat peccatum propriè, quod pro ultima ratione adferri potest, quare aliquis sit peccator: formales enim rationes in aliquo genere sunt rationes ultimæ. sed missio gratiæ non potest reddi pro ultima ratione, quare aliquis sit peccator originaliter. Si enim quæratur, estne hic infans non baptisatus peccator. respondebitur Affirmative. si quæratur, quare est peccator, respondebitur, quia non est in gratia originali. restat quærere, quare non sit in gratia originali à partetua? & hoc quòd adferetur pro ratione, si sit legitimum, erit quæsitum formale originalis.

Tum quia. Omne peccatum ex genere suo dicitur motum animi vel in se vel in alio, & tamen præcisa gratiæ sublatio, hoc non dicit. Tum quia. Originale peccatum, cum proprio actuali, conveniunt in ratione carentiæ gratiæ, & non conveniunt in ratione talis peccati. Ergo originale solâ privatione gratiæ stare non potest formalitasque legitima distinctiva originalis à proprio, potius formalisabit Originale. Tum quia. Ut urget Oviedo, Privatio gratiæ vel est peccatum, quatenus debebat eam pueris conferre: & hoc non. quia Deus debuit eam conferre, casu quo Adamus non peccaret. Ergo destructa illa conditione, jam non manet debitum. Ergo nec originale. siquidem illud stat in hoc debito; & cum hoc debitum sit in Deo, peccatum autem non sit in Deo, peccatum non erit illud debitum. Vel privatio gratiæ est peccatum in quantum ipsi posteri debebant illam translatam habere ab Adamo. & hoc non. quia nemo dicitur peccare propter transgressionem obligationis alienæ, quam implere ipsi non incumbit. Non etiam privatio gratiæ est peccatum, in quantum ipsi posteri debebant eam habere: quia debuerunt ponere causam ne haberent gratiam. & hæc potius causa erit quæsitum originalis constitutivum, ad quam tanquam effectus consequatur privatio gratiæ.

Quamvis autem peccatum realiter loquendo sit mors animæ, stans in expulsiōe vitæ quæ est gratia, negatur tamen primò constitui formalitate mortis. Unde etiam per baptismum aufertur quidem negatio gratiæ, primò tamē per se non tollitur negatio gratiæ, sed aversio facta à Deo in capite. Concedimus quidem, quòd sicut peccatum actuale stat in privatione rectitudinis actualis debiti, ita & habituale in privatione habitus debiti, sed nomine ejus non intelligitur primò per se gratia, sed intelligitur perseverantia moralis in actu debito inesse, quæ perseverantia pertinet ad habitum.

Ad explicandam Essentiam Peccati originalis.

PRÆMITTO 1. *Distinctas has esse propositiones, Peccavit Adam, qui fuit Caput nostrum, & Peccavimus in Adamo tanquam in Capite.* ad eum modum quo distinctæ sunt hæc propositiones, Fecit hoc Paulus qui est Tutor Andreæ, & Fecit hoc Andreas in suo Tutore. Et certè prior propositio non infert ullam veram actionem posterorum, infert secunda. poteratque ratio capitis materialiter se habere. Unde potuisset peccare Adamus alio peccato, quo nos non peccassimus, & tamen vera fuisset propositio, quòd peccaverit Adam qui est caput nostrum.

PRÆMITTO 2. *Quòd originale debeat concipi hoc posteriori modo.*

RATIO. Tum quia. Trident. appellat hoc peccatum unicuique proprium, quæ proprietas magis elucet, si dicamur hoc secundo modo peccare. Cum ratio capitis ex vi terminorum non excludat, quominus materialiter capi possit. Tum quia. Sacra Scriptura hæc potius phrasit utitur. In uno, inquit, omnes peccaverunt. Consonat huic phrasi Aug. lib. 3. de Peccatorum meritis cap. 7. *nec sic dicitur esse aliena peccata, tanquam ad parvulos non pertineant, siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt.* & Epist. 23. ad Bonifacium: *Traxit ergo reatum: quia unus erat cum illo & in illo à quo traxit, quod quando traxit admissum est.* Tum quia. Peccatum ab eo causatur qui peccat. Cum ergo & nos peccaverimus originaliter, & nos illud causavimus: matrimoniumque non dicitur Legatus contrahere rigorosè, sed is cuius est Legatus.

PRÆMITTO 3. *Quid sit istud peccatum quòd nos commisimus in Capite physice, & quid moraliter?* Physicè est peccatum Adami, tanquam capitis, circumstantionatum securà infectione posterorum, casu quo poneretur peccatum. Moraliter autem istud peccatum est, in quantum ratione continentiæ moralis in Adamo posita est à nobis moraliter transgressio Legis, quæ continentia, jam est suprâ explicata. *Ex quibus præmissis*

EXPLICATUR Essentia originalis. Quòd scilicet non tantum stet in hoc, quòd peccaverit Adam, qui fuit caput nostrum. ut dixi Præm. 1. sed etiam peccavimus, nos ut dixi præmissio 2. ita tamen, ut peccatum illud physice stet in actu solo physico Adami circumstantionato securà infectione posterorum, ut dixi Præm. 3. quòd tamen moraliter sit nostrum titulo continentie in capite. de qua suprâ.

Sub finem addenda sunt verba Arriaga. Quidquid huic Declarationi deest, suppleri debet à Fide, facileque evaderet aliquis dicendo, quòd illud peccatum sit proprium parvulorum,

(G) 3 licet

licet non sciamus modum, quo sit proprium, quia illud nec revelatio, nec Auctoritas PP. describit. Imò Bellarm. lib. 5. de Amiff. Grat. cap. 10. censet in infantibus non reperiri peccatum, inquantum illud dicit actionem, sed inquantum dicit reatum & maculam. quæ sunt effectus potius peccati, transeunte peccato, manentes.

De Pœnis originalis, consule Arriaga d. 52. Oviedo Contr. 9. p. 12. fusiùs Salaz. tr. 13. d. 11. f. 6. An infantes non baptisati sint pœnâ sensûs puniendi, dictum alibi. probabileque hoc putat. Driedo. Albert. Hubertinus & Gregor. defendit, licet non resolvat. Qui illis negant pœnam sensûs, docent illos tristitiâ levi afficiendos, ex carentia visionis. talis est Bellarm. Valent. Palat. Tann. nullâ afficiendos docet Vasq. Azor, & ante illos Niss. & S. Th. Alii tribuunt illis naturalem Beatitudinem post hanc vitam, alii negant, propter Auctoritatem Conc. Africani. cap. 72. ut habetur Tomo 1. Concil. Stante tamen hâc Auctoritate, Suar. & Oviedo tribuunt illis notitiam naturalem de Deo, & ejus amorem naturalem. Salmeron docet, hanc terram habituros, quod etiam docuit Cathar. vocatq; hanc sententiam piam & probabilem Suar. sed improbabilem illam appellat Pineda. locum autem tenebrosûm prope infernum, tribuit illis Abulensis, & Sorus, locum subterraneum cum luce, Arriaga citatus.

COLLIGES. Peccatum originale spectari posse physicè & moraliter. Physicè dicitur Actum peccaminosum Adami circumstantionatum infectione posteriorum. moraliter autem, dicit actionem peccaminosam, moraliter commissam a nobis, tanquam contentis in Capite.

QUÆSTIO III.

De aliis Divisionibus Peccati.

PErstringo hîc divisionem peccatorum, inquantum illa sumunt speciem ex objectis & virtutibus quibus opponuntur: indubiè enim ipsa objecta, & virtutes habent suas etiam divisiones. Circa distinctionem ex objectis.

ASSERO 1. *Ab objectis seu bonis quibus opponuntur peccata sumi diversitatem specificam.*

RATIO. Quia omne peccatum est voluntarium omne autem voluntarium specificatur ab objecto, ut Inductio ostendit, docetque S. Thom. hîc q. 52. a. 1.

ASSERO 2. *Peccatum illud est gravius, quod privatur meliori bono seu objecto.*

RATIO. Tum quia. Peccatum est defectus seu carentia boni. Ergo majus est, quo bonum est majus quo privatur: sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita majus ad majus. Tum quia. Unum peccatum est majus altero formaliter. ut fides & ratio docent: neque enim æque

malum est mentiri ad ostentationem ingenii, atque odisse Deum. Sed si peccatum non esset majus formaliter, quod privatur meliori bono, unum non esset majus altero formaliter. quod ipsum probatur. quia majoritas peccati non potest desumi ex ipsa entitate peccati, cum nec ratio formalis peccati desumatur ab ipsa entitate peccati. non etiam desumeretur majoritas ex ipsa formali carentia boni seu perfectionis, cum non esse non appareat, qui sit majus vel minus, cum stet omni exclusione esse; in ly autè omni, non datur majus & minus. Ergo sicut & ipsa carentiæ in aliis materiis majoritatem sumunt ex termino quo privant, etiam peccatum sumet malitiam formalem ex bono quo privatur. Tum quia. Quò majus est in aliquo jus, eò majus est & debitum illi respondens. Ergo cum in meliori bono, majus sit jus ad amari, major etiam erit obligatio ad amare in creatura rationali. Ergo si ponatur non Amor melioris boni, ponetur contra debitum majus. Ergo & erit majus peccatum, cum nomine majoris peccati veniat factum contra majus debitum. hoc autem majus debitum, versatur circa majus bonum.

ASSERO 3. *Diversitatem hanc non esse sumendam secundum conditionem specificam objecti, sed secundum moralem.* Hinc æquale est furariter talero constantem, atque talerum; nisi forte physica distinctio diversam moralitatem tundet. & ita majus est v. g. furari militi pugnatorio equum bonum, quam æquivalentem equo pecuniam.

Circa distinctionem ex virtutibus quibus opponuntur peccata.

ASSERO 1. *Peccata esse specie distincta quæ opponuntur diversis virtutibus.*

RATIO. Tum quia. aliud per omnes est peccatum contra fidem, & aliud peccatum contra temperantiam. Tum quia. Oppositio ad bonum diversum specie morali, adfert distinctionem specificam. Ergo & oppositio ad diversam actionem. Tum quia. Contrariorum eadem est ratio. Ergo si hæc virtus distinguitur specie ab hac virtute, etiam peccatum contra hanc virtutem erit distinctum a peccato contra aliam virtutem, eò quòd hæc diversitas sit adlatura notabilem alietatem.

ASSERO 2. *Peccata quæ opponuntur eadem virtuti, non hoc ipso sunt ejusdem speciei.*

RATIO. Quia illa conditio virtutis potest sub se habere, alias specie distinctas honestates, ut etiam supra de liberalitate dictum. Ergo oppositio ad has honestates sub eadem virtute poterit esse specifica.

DICES 1. Prohibeat Deus hunc actum nolo me opponere ulli virtuti, si fiat hic actus, erit peccaminosus, utpote contra prohibitionem; & tamen nulli virtuti se opponet, cum importet non oppositionem virtuti.

RESPON-